

theologicæ certa, et forsan proxima fidei, ut sequitur ex eo quod dicit Benedictus XIV, ubi supra, lib. I, c. 45, n. 28, eum qui assereret summum Pontificem in hac vel illa canonizatione errasse, temerarium fore, scandalum toti Ecclesiæ afferentem, in sanctos injuriosum, faventem hæreticis, sapientem hæresim, assertorem erroneæ propositionis et gravissimis pœnis obnoxium.]

DISSERTATIO V

DE SUMMO PONTIFICE

ARTICULUS I

De primatu sancti Petri.

Hæc quæstio prælium est ad quæstionem de primatu summi Pontificis. Cum enim Romanus Pontifex sit successor sancti Petri, quam iste habuerit authoritatem in Ecclesia, hanc habet Romanus Pontifex. Unde quæ dicam pro primatu S. Petri, probant primatum Romani Pontificis.

[Primatus triplex distinguitur : honoris, excellentiæ et jurisdictionis. Primatus honoris seu dignitatis ille est quo aliquis primum locum inter cæteros obtinet, sed absque ulla superiori potestate præceptiva : v. g., in cœtu deliberante ex æqualibus composito, præses hunc primatum exereet, discussiones dirigendo et moderando, sed nullum mandatum edendo. Primatus excellentiæ illius est proprius qui aliqua dote, et sub hoc respectu tantum, alios superat; quo sensu Cicero oratorum princeps dicitur. Primatus jurisdictionis ille est quo aliquis, non solum in cœtu primum locum obtinet, aut aliis dote aliqua præstat, sed reipsa cæteris superior constituitur et erga eos authoritate præceptiva pollet. Talis est qui potestatis triplicis, nempe legislativæ, judicariæ et coercitivæ usum

habet : et hujusmodi est primatus beato Petro a Christo collatus, ejusque successoribus transmittendus.

Schismatici et hæretici libenter concessissent Pontifici Romano quemdam honoris primatum, vel etiam admitterent illum habuisse olim jurisdictionis potestatem, sed tantum jure humano, scilicet ei concessam ab Ecclesia, quæ posset pari jure eam auferre. Ita sentiunt Græci, qui Romano Pontifici subjecti fuerunt usque ad tempora patriarchæ Photii, circa annum 887, qui Constantinopolitanam sedem invasit et a Romano Pontifice condemnatus est. Hic Papæ authoritatem doctrinaliter primus inter Orientales palam detrectavit, practice id fecerunt omnes hæretici et schismatici separati ab Ecclesia. In occidente primus negavit Pontificis Romani primatum Berengarius, sæculo xi, Papam *Pompificem* derisorie vocitando. Impietatis æmulos habuit Wikleffitas, sæculo xiv, quos secuti sunt Lutherus et Calvinus, propugnantes omnes Apostolos fuisse æquales Petro, qui eorum fuisset socius tantum, non vero dominus. Dominum equidem nec catholici dixerunt, sed superiorem cæteris Apostolis eum fuisse, cum certitudine affirmant. Cum non alia esse possit Romani Pontificis authoritas, quam ea quæ fuit ipsius Petri, cujus successor est Romanus Pontifex, nihil non moliuntur ut Petro suam in alios Apostolos jurisdictionis primatum eripiant. Janseniani et sequaces Richerii et Febronii primatum eo usque limiterunt, ut pene excideret, si eorum doctrina prævaleret. Fuit etiam injuriose impetitus per *Cleri gallicani de ecclesiastica potestate declarationem* diei 19 martii 1682, de qua infra. Hodierni schismatici qui se nomine *Veterum Catholicorum* impudenter decorant, primatum plus minusve theoretice impugnant, sed practice, per suam pertinacem rebellionem, eum prorsus convellunt.]

Dico : Petrus, isque solus, est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesiæ : sive soli Petro collatus est a Christo primatus, non solum honoris et dignitatis, sed potestatis et jurisdictionis in Apostolos et universam Ecclesiam.

[Est de fide, definitum a synodo Vaticana, constit. *Pastor aeternus*, cap. 1, de *Apostolici primatus in beato Petro institutione*: « Docemus et declaramus, juxta Evangelii testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum enim Simonem, cui jam pridem dixerat, *Joann.*, 1, 42: *Tu vocaberis Cephias*, postquam ille suam edidit confessionem, *Matth.*, xvi, 16-19, inquit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, solemniter his verbis allocutus est Dominus: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit solutum et in caelis.* Atque uni Simoni Petro contulit Jesus, post suam resurrectionem, summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens, *Joann.*, xxi, 15-17: *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* Hinc tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum, præ cæteris Apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul, verò proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi, ut ipsius Ecclesiae ministro, delatum fuisse.

» Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis caput; vel eundem honoris tantum, non autem veræ propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit. »]

Prob. 1º ex duplici loco Scripturae. Primus est Matth.,

xvi, 17-19, ubi Christus Petro præ cæteris Apostolis confitenti quod esset Filius Dei, extemplo vices et præmium confessionis rependens, dicit ipsi: *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalent adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit solutum et in caelis.* Quibus verbis, sensu obvio acceptis, significatur primatum jurisdictionis in Ecclesiam conferri Petro sub duplici metaphora, scilicet fundamenti et clavium; quod enim est in aedificio fundamentum, hoc est in corpore caput, in civitate rector, rex in regno, paterfamilias in domo, et cui traduntur claves, ipse instituitur rex aut gubernator civitatis. — Subsumo. Atqui hæc verba nulli alteri ex Apostolis quam Petro convenire possunt. Ergo. — *Prob. min.* Nullus, præter Petrum, confessus fuerat divinitatem Christi; nullus, præter ipsum, poterat dici *Simon Bar-Jona*, seu filius Jonæ; nullus, præter ipsum, vocatus est *Cephias*, quod interpretatur saxum, petra seu rupes. Non enim dixit Christus, ut habet versio latina: *Tu es Petrus*, sed, syriace loquens: *Tu es Cephias*, hoc est, tu es Saxum seu Petra, et super hoc saxum seu hanc petram, ubi pronomen *hanc* manifeste indicat petram de qua prius facta est mentio, quasi diceret: « Tu es Petra super quam aedificabo Ecclesiam meam. » Ideo autem latinus interpres vertit: *Tu es Petrus*, et non: *Tu es Petra*, quia secutus est codicem græcum, qui habet *Petros*, græce vero tam *petros* quam *petra* significant lapidem, et visum est interpreti latino convenientius homini tribuere nomen masculinum *Petrus*, quam foemininum *Petra*. Ergo his verbis soli Petro concessus est primatus jurisdictionis in totam Ecclesiam.

Ita etiam hunc locum interpretantur omnes fere SS. Patres

praesertim Aug., quem opponunt sectarii, scilicet in *Psal.* LXIX et serm. 29 de Sanctis ¹.

Alter locus Evangelii est *Joann.*, XXI, 15-17, ubi Christus quod promiserat Petro, *Matth.*, XVI citato, propter excellentem divinitatis confessionem, de facto confert post trinam singularis amoris confessionem: *Simon Joannis, diligis me plus his? ... Pasce agnos meos... Pasce oves meas.* Constat 1^o hæc verba, ut ante, non posse alteri convenire quam Petro; designatur enim nomine proprio et patris, *Simon Joannis*; ter ipsum interrogat Christus, ut trina confessio responderet trinæ negationi; ipsum interrogando, excludit cæteros, dicens: *Diligis me plus his*: ideoque ipse Petrus proprio, et non aliorum nomine, respondit: *Tu scis, Domine, quia amo te, cum aliunde scire non posset an alii ipsum diligerent.* Constat 2^o universalem Ecclesiam regendam esse ipsi commissam. Non enim committit illi has aut illas oves seu agnos, sed indefinite *oves meas, agnos meos.* Omnes autem fideles sunt oves Christi, vel agni: per agnos significatur populus, per oves pastores. Unde Bernard., lib. II de *Consider.*, cap. 8: « Cui, inquit, non dico episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populus civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.»

Atque ita hunc locum communiter exponunt SS. Patres, proindeque traditione confirmatur conclusio, quam etiam attestatur concil. Chalcedon., act. 3, ubi dicit de S. Petro: « Qui est petra et crepido catholicæ Ecclesiæ, et recte fidei fundamentum. »

Prob. 2^o ratione theologica². Christus in Ecclesia instituit regimen monarchicum, in quo unus exstat supremus princeps, qui plena autoritate rerum summam administrat. Ergo non instituit ex æquo omnes Apostolos totius

1. Hic sermo fuit rejectus a Benedictinis, tamquam suppositivus, in Appendicem, n. 203. — 2. IV *Contra gentes*, c. 76.

Ecclesiæ principes et rectores, sed unum dumtaxat inter illos. Quis autem iste unus, nisi Petrus, ut ex dictis patet? Nee alium assignant hæretici.

Prob. multipliciter ant. 1^o Ecclesia, *Daniel*, II, 44, comparatur regno; *Cantic.*, VI, 3, exercitui ordinato; I *Petr.*, III, 21, navi; *Joann.*, X, 16, ovili. Atqui hæc omnia ab uno supremo moderatore gubernantur. Ergo.

2^o Nulli dubium esse debet, quin Ecclesiæ regimen sit optime ordinatum ¹, utpote per eum dispositum, *per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, *Prov.*, VII, 15. Atqui optimum regimen multitudinis, est ut regatur per unum. Ergo.—*Prob.* min. ex fine regiminis, qui est pax et unitas subditorum. Atqui unus est congruentior causa unitatis et concordiae, quam multi; quia unum est per se causa unitatis, multa autem tantum per accidens, quatenus aliquo modo uniuntur: manifestum est enim quod plures non possunt unire et concordare, nisi ipsimet aliquo modo convenient et uniantur. Ergo.

Solvuntur objectiones

Obj. 1^o: Ex laudato cap. XVI *Matth.* nihil erui potest pro primatu S. Petri, quia per has particulas: *Et super hanc petram*, non intelligitur Petrus, sed Christus, ut docet Aug., tract. ultimo in *Joann.*, n. 5, dicens: « Super hanc petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. » Ergo.

Resp. Augustinum equidem utramque expositionem tradidisse, idque ipse agnoscit lib. I *Retract.*, c. 21, n. 1, ubi neutram alteri præponit, sed iudicio lectoris relinquit: « Harum duarum sententiarum, inquit, quæ sit probabilior, eligat lector, » dicitque nostram « cantari ore multorum versibus beatissimi Ambrosii; » et cum sit longe conformior textui, ut probatum est, eamque communiter tradant SS. Patres, omnino præferenda est.

Si petas cur Augustinus hanc alteram expositionem, ut in instantia, pluribus in locis tradiderit,

1. *Ibid.*

Respondent plures, id contigisse ex ignorantia linguae hebraicae seu syriacae. Ratio enim quam loco citato *Retract.* adfert S. Doctor, cur haec verba : *Et super hanc petram*, ad Christum, et non ad Petrum retulerit, est quia, inquit, « non est dictum illi (Petro) : Tu es petra, sed : Tu es Petrus, Petra autem erat Christus, » existimans *Cephas* non significare *petram*, sed aliquid derivatum a petra, quasi petrinum, ut saxeum a saxo, hacque de causa latinum interpretem vertisse : *Tu es Petrus*, et non : *Tu es Petra*. Et quia Ecclesia super petram, et non super aliquid petrinum, erat aedificanda, existimavit S. Augustinus, per illam petram non intelligi Petrum, sed Christum, de quo dictum est : *Petra erat Christus*. Si ergo S. Doctor advertisset *Cephas* nihil aliud significare quam petram aut saxum, et Christum dixisse : *Tu es petra, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, procul dubio expositionem nostram ubique secutus fuisset.

Obj. 2° : Christus, *Matth.*, xviii, 18, caeteris Apostolis parem ac Petro contulit potestatem, cum illis dixit : *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo*, etc. Ergo.

Resp. Dato potestatem ligandi et solvendi esse aequalem potestati clavium, quod negat Cajetanus, cap. 5 et 7 de *Primatu summi Pontificis*, *dist.* ant. Christus concessit parem potestatem Apostolis ac Petro, et eodem modo, *nego*; et diverso modo, *conc.* Concessit enim Apostolis ut delegatis, Petro ut pastori ordinario; Apostolis dependenter et subordinate Petro, huic independentem et supreme. Ecce enim, ut observavi, *Matth.* xvi, 19, soli Petro coram aliis dicitur : *Tibi dabo claves*, et *Joann.*, xxi, 17 : *Pasce oves meas*, idque ob singularem ejus fidem et dilectionem, si nihil praeter caeteris acceperit?

Inst. 1° : Christus, *Matth.*, xxviii, 13, et *Joann.*, xx, 21, aequaliter mittit omnes Apostolos et omnibus pariter dicit : *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos. Euntes ergo docete omnes gentes*, etc. Item *Act.*, viii, 14, Petrus missus fuit ab Apostolis; non est autem superioris mitti ab inferioribus.

Resp. ad primum, ex missione Apostolorum sequi eos

parem fuisse Petro in ratione apostolatus, non ratione officii pastoralis, ut jam dictum est, et magis explicabitur modo.

Ad secundum. Apostoli miserunt Petrum, non imperio, sed consilio; non jubendo, sed consulendo et suadendo: sicut capitula quandoque mittunt suos praepositos, imo regis consilarii regem, pro rerum gerendarum gravitate et exigentia.

Inst. 2° : S. Cyprianus, lib. II de *Unitate Ecclesiae*, dicit : « Hoc erant utique caeteri Apostoli, quod fuit et Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. » Ergo.

Resp. Dist. ant. S. Cyprianus dicit, caeteros Apostolos fuisse pares Petro consortio honoris et potestatis in ratione apostolatus, *conc.*; in ratione episcopatus seu officii pastoralis, *nego*. Itaque quoad auctoritatem apostolatus fuerunt caeteri Apostoli pares Petro, quia poterant ubivis gentium praedicare, sacramenta ministrare, Spiritum sanctum impertiri, miracula edere, libros sacros scribere, fundare Ecclesias, leges condere et episcopos creare: sed ut delegati et jure extraordinario atque S. Petro subordinati. Petrus autem haec poterat ut pastor ordinarius, jure suo ordinario, aliis Apostolis non subordinatus, ita ut ipse eorum legibus non adstringeretur, cum ipsi legibus Petri tenerentur, si quas tulisset pro sedando schismate, haeresi comprimenda, vel aliter pro communi Ecclesiae bono: eo fere modo ac si Papa mitteret legatum ad Indos orientales, cum plena potestate faciendi omnia quae videbuntur necessaria vel utilia his missionibus, ipse posset quod Papa potest, sed diverso jure, ille ut delegatus et jure extraordinario, Papa ut pastor ordinarius et jure ordinario. Hanc esse mentem Cypriani indicant ipsa verba objecta: « Sed, inquit, exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut Ecclesia una monstretur. » Habet ergo Petrus primatum pro servanda unitate Ecclesiae, quae servari non posset, si non esset primatus

authoritatis et potestatis ad sedandas dissensiones, schismata tollenda, et alia mala quæ Ecclesiæ unitatem lædere possent removenda. Item eodem lib. II *de Unit. Ecclesiæ*, aperte pronuntiat hæc Christi verba : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, referri personaliter ad Petrum, et « super unum Petrum esse ædificatam Ecclesiam. »

Itaque in tribus potestas Petri præcellit potestati cæterorum Apostolorum : 1^o Quod esset in Petro tamquam in pastore ordinario, ad suos successores transmittenda ; in Apostolis autem esset ut in delegatis, quatenus necessaria erat exercendo apostolatui in universo mundo, nec ob locorum distantiam facile poterant in casibus emergentibus Petrum convenire. 2^o Quod potestas Petri se extenderet supra cæteros Apostolos, non potestas Apostolorum supra Petrum. 3^o Quod Petrus poterat ferre leges generales pro tota Ecclesia, Apostoli autem particulares pro ecclesiis quas fundabant.

ARTICULUS II

De primatu Romani Pontificis

Dico : Romanus Pontifex habet primatum authoritatis in universam Ecclesiam¹. Est de fide.

Prob. 1^o ex articulo præcedenti. Tota authoritas Petri, qua pastoris et rectoris totius Ecclesiæ, quæ fuit suprema, ut dictum est, transmissa est ad ejus successorem. Atqui Romanus Pontifex est successor Petri. Ergo.—Maj. constat ; quia, cum Christus Ecclesiam fundaverit perpetuo duraturam, debuit in ea formam regiminis perpetuam instituire, quæ moriente Petro non cessaret, sed ad ejus successores transiret.—Min. etiam constat. Quotquot enim ex Patribus qui catalogum Romanorum Pontificum texue-

1. 2^a 2^a, q. 89, art. 9, ad 2 ; 3^a p., q. 72, a, 11, ad 1 ; Suppl., q. 26, a 3, o.

runt, ut Optatus Milevit., lib. II *contr. Parmen.* ; Aug., *Epist. ad Generosam*, 53¹, etc., originem successionis a S. Petro ducunt. Magis adhuc constabit ex conciliis et Patribus mox citandis. Unde quæcumque probant primatum S. Petri, probant simul primatum Romani Pontificis.

Prob. 2^o ex conciliis. Concilium Sardicense, anno 347, in epistola synodica ad Julium Papam : « Hoc optimum, inquit, et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est Petri Apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis referant Domini sacerdotes. »

In concilio Ephesino, anno 431, Patres dicunt « se coactos » per epistolam Cælestini Papæ ferre sententiam in Nestorium.

In concilio Chalcedonensi, anno 451, act. 2, postquam lecta fuit S. Leonis epistola, reverendissimi Episcopi clamaverunt : « Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui non ita credit, PETRUS PER LEONEM ITA LOCUTUS EST, Apostoli ita docuerunt. »

Actione 16, gloriosissimi judices dixerunt : « Ex his quæ gesta sunt et ab unoquoque deposita, perpendimus, omnem quidem primatum et honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari. »

Tandem Patres Chalcedonenses S. Leonem rogant, ut suo consensu confirmare dignetur quæ statuerunt.

In concilio VI generali, Constantinop. III, anno 680, Patres in litteris synodicis ad Agathonem Papam, quæ exstant post act. 18, sic inter plura ipsum alloquuntur : « Libenter perlectis vestræ confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine missis, quas ut a summo Apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris sectam depulimus. » Et infra : « Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clare prædicavimus ; quam ut iterum per honorabilia vestra scripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem. »

1. Olim 165.

[Concilium Lateranense IV, anno 1215, decernit quod « Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra. »

Concilium Lugdunense II, anno 1274, definivit « Pontificem Romanum principis Apostolorum successorem esse, verum Christi vicarium ac totius Ecclesiæ caput. »]

Concilium Constantiense, anno 1414, damnat hanc Wiclefi sententiam : « Quod Papa sit summus Pontifex, est ridiculum. Et Christus nec in Petro, nec in alio talem approbavit dignitatem. » Item hunc articulum 10 Joannis Hus : « Nec Romanus Pontifex est caput Ecclesiæ. » Et hunc 27 : « Non est scintilla apparentiæ quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam. »

Concilium Florentinum, anno 1439, ubi in pluribus collationibus ventilata fuit inter Orientales et Occidentales quæstio de primatu Romani Pontificis, quem a schismate Photii negabant Orientales, tandem communi utriusque partis consensu sic definivit in decreto Unionis : « Definitum sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur. »

Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. 7 : « Merito, inquit, Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. »

[Hanc veritatem definivit explicatius synodus Vaticana, constit. *Pastor æternus*, cap. 2, *De perpetuitate primatus beati Patri in Romanis Pontificibus* : « Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus

ovium Dominus Jesus Christus, in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ, instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit ; qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus Episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet, et iudicium exercet¹. Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is, secundum Christi ipsius institutionem, primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus, in accepta fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit². Hac de causa ad Romanam Ecclesiam, propter potentioris principalitatem, necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent³.

« Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domin institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores, aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem ; anathema sit. »]

Prob. 3º ex Patribus. Legendi sunt S. Irenæus, lib. III *adversus Hæreses*, c. 3 ; Tertullianus, *adversus Præceam* ; S. Cyprianus, epist. 43 et epist. 67.

S. Dionysius Alexand., de hæresi accusatus, se purgavit apud Romanum Pontificem, ut refert Athanasius, lib. *de synodis Arimini et Seleuciæ*.

1. Ephesin. concil., act. 3. — 2. Leo M., serm. 3 (alias 2), cap. 3. — 3. Iren., *Adv. hæres.*, lib. III, c. 3, et concil. Aquil. anni 384, inter epist. Ambros., epist. 11.

Concilia orientalia irrita habebantur, nisi autoritate Romani Pontificis firmarentur, ut testantur Socrates, lib. II *Hist.*, c. 5, et Sozomenus lib. III, c. 9.

Julius Papa Athanasium a sede sua detrusum restituit, ejusque hostes ad apostolicum tribunal vocavit. Apud Athanas., *Apolog.* II.

S. Chysostomus, Epist. 1 ad Innoc. I, ipsum rogat ut sententiam exauthorationis in se a Theophilo Alexandrino latam rescindat.

S. Hieronymus, epist. 57, ad Damasum Papam : « Beatitudini tuæ, inquit, id est Cathedræ Petri communiōne consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, dispergit; hoc est, qui Christi non est, Anti-Christi est. »

S. Aug., epist. 190¹, n. 23, et epist. 43², n. 7, et lib. I ad Bonifac., c. 1, n. 1.

[In epist. 43, n. 7, dicit Aug. : « Romana Ecclesia in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus. »]

S. Prosper, carmine de Ingratis.

« Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet. »

S. Bernardus, lib. II de Considerat., c. 8, n. 15, ad Eugenium Papam : « Tu, inquit, potestate Petrus, unctioe Christus. Sunt quidem et alii cœli janitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum omnium tu unus Pas-

1. Olim, 157. — 2. Olim, 162.

tor. » Et postquam id probavit, sicut nos, ex *Matth.*, xvi, 17-19, et *Joann.*, xxi, 15-17, sic concludit, n. 16 : « Stat ergo inconcussum privilegium tuum, tam in datis clavibus, quam in ovibus commendatis. »

Clerus Gallicanus, in conventu habito Parisiis anno 1681, de Romano Pontifice sic loquitur : « Caput est Ecclesiæ, centrum unitatis. Obtinet ille in nos Primatum autoritatis et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona Petri collatum. Qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo et hæreticus esset. » Idem docet Gerson, de *Statibus ecclesiasticis*, considerat. 1^a.

Ex his itaque conciliis, SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis habemus, Sedem Romanam esse Cathedram Petri, Romanum Pontificem esse successorem Petri, Romanos Pontifices causas fidei ut supremos iudices diremisisse, appellaciones dejectorum episcoporum recepisse, restituisse suis sedibus immerito exauthoratos, multasse censuris aliarum ecclesiarum, etiam Orientis, antistites, vel eos communiōne donasse, concilia probasse vel respuisse, jus denique dixisse cæteris patriarchis et episcopis. Hæc autem esse primatus jurisdictionis invictissima argumenta nemo non videt.

Et hinc sic formo argumentum. Ea est ac semper fuit ab initio constans Ecclesiæ fides, Romanum Pontificem esse successorem Petri, esse supremum totius Ecclesiæ pastorem et caput. Atqui Ecclesia errare non potest in agnoscendo suo supremo pastore et capite; alias portæ inferi adversus illam prævalerent. Ergo.

Solvuntur objectiones

Obj. 1^o : Canon 6 concilii I Nicæni sic habet : « Antiqua consuetudo servetur per Egyptum, Lybiam et Pentapolim, ut Alexandrinus episcopus harum omnium habeat potestatem; quia et urbis Romæ episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, etc. » Quibus verbis videtur coarctari potestas Romani Pontificis ad certas provincias, sicut potestas Alexandrini episcopi.

Resp. Dist. ant. His verbis coarctatur potestas Romani

Pontificis, ut est Romanus Pontifex et Petri successor, *nego*; ut est Patriarcha Occidentis, *conc.* Ad cuius intelligentiam observandum est, plures esse in Romano Pontifice e prerogativas: 1° Est episcopus ordinarius urbis Romæ et ejus territorii. 2° Est metropolitanus Romanæ provinciæ. 3° Est primas, seu, ut olim dicebatur, exarcha seu metropolitanus major provinciarum Italiæ, cui metropolitani inferiores subordinantur. 4° Est patriarcha Occidentis. 5° Est totius Ecclesiæ caput et supremus pastor. Comparatio igitur quam concilium Nicænum instituit inter Romanum episcopum et Alexandrinum, non est quoad omnia jura Romani Pontificis, sed quoad jura patriarchalia tantum, quorum præcipuum erat jus ordinationum, præsertim metropolitanorum, in toto patriarchatu. Huic canoni occasionem dedit Meletius. Cum enim antiquam consuetudinem, secundum quam episcopus Alexandrinus in Ægypti, Lybiæ, Pentapolis diœcesibus sacras ordinationes celebraret, aut celebrandi licentiam daret, schismate facto turbasset Meletius; concilium Nicænum, canone sexto edito, asserta voluit episcopi Alexandrini et aliorum privilegia.

Inst.: Dignitas patriarchalis est posterior concilio Nicæno, nec in eo canone fit mentio patriarcharum, sed metropolitanorum tantum. Ergo comparatio inter episcopum Romanum et Alexandrinum non est quoad jura patriarchalia.

Resp. Dist. ant. Dignitas patriarchalis est posterior Nicæno quoad nomen, *conc.*; quoad rem, *nego.* Ante concilium enim episcopus Alexandrinus fruebatur juribus patriarchalibus in quibus turbaverat ipsum Meletius Lycopolitanus, qui in istis provinciis ordinationes facere attentabat. Usurpatum est autem in canone nomen metropolitani, quia tunc erat commune, non solum metropolitanis ordinariis, sed etiam primatibus et patriarchis.

Obj. 2° ex denegato Pontifici Romano appellationum jure. Si Romanus Pontifex haberet primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, posset ad eum ex toto orbe christiano appellari. Atqui falsum consequens. Ergo et

ant. — Prob. min. 1° Concilium Milevitanum, in Africa, can. 22, prohibet appellationes transmarinas, seu ad Sedem Romanam, his verbis: « Si qui provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putarent appellandum, a nullo intra Africam in communione suscipiantur. » Ergo. — 2° Episcopi Africani, inter quos convivebat Augustinus, in concilio Carthaginiensi VI, anno 418, noluerunt admittere appellationes ad Zozimum Papam, quas ejus legati ipsi vindicare contendebant, allegatis canonibus concilii Nicæni.

Resp. Nego min., ut constat ex probationibus conclusionis, quibus adde canones 3, 4, 5 et 7 concilii Sardicensis, anno 347, inter quos quartus sic habet: « Si quis episcopus fuerit depositus judicio episcoporum qui sunt in vicinia, et dicat rursus sibi defensionis negotium competere, non prius in cathedram alius substituat, quam Romanus Pontifex, causa cognita, sententiam tulerit. »

Insuper observandum est quod, quamvis jus appellationum sit primatui Sedis Apostolicæ annexum, tamen Romani Pontifices illud nec semper, nec erga omnes exercuerint; sed, juxta usum in pluribus provinciis introductum, consenserunt ut simplicium sacerdotum et inferiorum clericorum causæ vel ab episcopis, vel a concilii provincialibus, vel a primatibus ultimate definirentur; ne vel occasio præberetur clericis vagandi, vel ne ex nimia appellationum frequentia frangeretur autoritas episcoporum, et ii qui primo judicaverant immerito vexarentur, atque causæ alioquin faciles in longum tempus protraherentur. His præmissis,

Resp. ad primam probationem. Concilium Milevitanum non prohibet omnium appellationes, sed presbyterorum tantum, diaconorum et inferiorum clericorum. Et hoc secundum usum receptum, consentiente summo Pontifice, propter rationes datas in observatione superiori.

Ad secundam probationem, *resp.* Ecclesiam Africanam

non jus, sed usum appellationum ad Sedem Romanam, equidem aliquamdiu, errore facti deceptam, impugnasse; sed quem, errore non multo post deposito, agnovit et venerata est. Explicatur. Cum Apiarius, presbyter Africanus, appellasset ad Sedem Romanam, idque ægre ferrent episcopi Africani, Zozimus Papa in commonitorio quod dederat suis legatis ad concilium Carthaginense, fundabat usum appellationum ad Sedem Romanam in *canonibus Nicænis*, qui tamen non erant Nicæni, sed Sardicenses. At moris erat apud Sedem Apostolicam citare canones Sardicenses sub nomine Nicænorum, quia concilium Sardicense semper fuit habitum ut appendix concilii Nicæni, eo quod in Sardicensi nullus fidei canon sit editus, sed tantum fides Nicæna confirmata et ejus defensores vindicati. Hoc autem non attendentes Africani, scrutati sunt undequaque canones concilii Nicæni, tum in codice quem apud se habebant, tum in codicibus asservatis Constantinopoli et Alexandriae, etc., et cum in eis non reperirent canones citatos à Zozimo, collegerunt usum appellationum ad Sedem Romanam fundari in canonibus supposititiis, et ideo illum impugnaverunt, non tamen aliquid in contrarium definiendo, sed rogando Bonifacium et Cælestinum, successores Zozimi (is enim a discessu legatorum obierat), variis adductis rationibus, ut appellationes Africanorum deinceps non reciperet. Verum hæc nihil profuerunt, cum ipse Cælestinus appellationem iteratam ejusdem Apiarii receperit, et ipsimet episcopi Africani, ab errore liberati, Antonii Fussalensis episcopi appellationem ad Sanctam Sedem detulerint, ut constat ex ipso Augustino, inter Africanos tunc præcipuo, Epist. 209¹, ad eundem Cælestinum.

Obj. 3^o : Episcoporum autoritas est immediate a Deo, sicut autoritas Papæ, juxta illud *Act.*, xx, 28 : *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Et S. Hieron., Epist. ad Evagrium, ait : « Si autoritas quæritur, orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Ubicumque fuerit episcopus, sive Romæ, sive

1. Olim 261.

Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriae, sive Tanis, ejusdem meriti est et ejusdem sacerdotii. » Ergo.

Ad primum *resp.* cum Sylvio, lib. IV *Controvers.*, art. 5, Soto, Banne, Bellarmino, etc., *dist.* ant. Autoritas episcoporum est immediate a Deo, si per autoritatem intelligatur potestas ordinis, *conc.* Sicut enim Christus principaliter baptizat, sic principaliter consecrat ac confert characterem. Si per autoritatem intelligatur potestas jurisdictionis, *nego.* Hanc enim episcopi habent a Deo, mediante summo Pontifice; quia cum regimen Ecclesiæ sit monarchicum, omnis jurisdictio in uno residet, tamquam in capite, a quo derivatur in alios, ut dicit S. Leo, Epist. 89 : « Hujus muneris sacramentum, inquit, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab eo ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet. » Unde episcopi nominati vel electi nullam jurisdictionem habent, nisi a Romano Pontifice confirmantur. Et ita censet Author in IV *Sentent.*, dist. 20., art. 4; IV *Contr. gent.*, c. 76, ubi ait Christum soli Petro promisisse : « *Tibi dabo claves regni cælorum*, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiæ unitatem. » Quidam alii, ut Natalis Alexander, sæc. 1, dissert. 4; Gersonius, de *Statibus ecclesiasticis*, consid. 3, videntur agnoscere jurisdictionem episcoporum esse etiam immediate a Deo, dependere tamen quoad exercitium a summo Pontifice, quod non multum differt.

Nec obstat quod dicitur, *Act.*, xx, 28 : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos*, etc. Nec enim negamus Spiritum sanctum instituere episcopos, sed mediante supremo Ecclesiæ capite, sicut eos quos alloquebatur Apostolus instituerat mediante Apostolorum ministerio.

Ad secundum, non loquitur S. Hieron. ibi de autoritate summi Pontificis, sed de autoritate consuetudinis Urbis Romæ, quam dicit esse minorem quam autoritatem consuetudinis totius Ecclesiæ. Agit enim contra consuetudinem a diaconis Romæ introductam, qui cum pauci